



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 2. Epistola Marci Aurelii in Bonum Christianorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum II.  
A. C. 170.

§. II.

*M. Aurelii Epistola pro Christianis.*

*Chron. Alex.*  
*Eus. IV. hist.*  
c. 13.

Quidquid autem de eo sit, an Imperator hac Apologia, vel alia de causa permotus fuerit, tamen verosimillimum est, eum eodem anno Regni sui epistolam Christianis faventem ad Asiæ minoris populos dedisse; ea videtur esse responsoria, cum præsupposita consultatione paucissimis mentem suam explicet. Est autem tenoris sequentis: *Imperator, Cæsar, Marcus Aurelius, Antoninus, Augustus, Armenianus, Summus Pontifex, Tribunus Populi decimo quinto, Consul tertio Asiæ communitati salutem. Scio, ipsis Diis curæ esse, ut huiusmodi homines e latebris eruantur; magis eorum interest, quam vestra, puniri, qui sibi Divinos honores negant. Dum tales persequimini, in sententia, qua vos impietatis arguunt, confirmatis. Palam accusari, & pro Deo suo mori, majus lucrum reputant, quam vivere. Itaque dum vitam vilipendere, quam imperata facere malunt, vincunt. Quod attinet ad terræ motus præteriti, vel huius temporis, visum, vos moneri oportere, quod dum talia contingunt, animo cadatis, & tamen vosipsos istis hominibus audeatis conferre, qui in istis casibus majori fiducia Deo suo inbærent; econtra dum timore liberati estis, tam Deorum vestrorum vivitis*

vivitis immemores, quam illius immortalis, & Christianos ad mortem quæritis, qui eum honorant. Plures Provinciarum Rectores horum hominum causa Divinum Parentem meum consultarunt, quibus respondit, non esse vexandos, nisi contra Romanum Imperium quidquam attentare videantur. Plures scripserunt & mihi, quibus juxta Parentis mei sententiam rescripsi. Si quis quemquam eorum tanquam Christianum in judicio persequatur, absolvatur reus, quamquam constet, esse Christianum. Insuper actio detur contra delatorem. Lectum Ephesi in Asiæ comitiis.

Sæculum II.  
A. C. 170.

§. III.

*Alia Melitonis Opera.*

Meliton præter suam apologiam multa *Eus. IV. hist.*  
alia opera super Doctrinam, & mo- c. 26.

res scripsit; eorum operum viginti septem numerantur, quorum nobis pauca fragmenta suppetunt. Inter alia erat collectio sententiarum brevium, & selectarum Scripturæ, cognita omnibus, Catalogum Librorum veteris Testamenti continens. Initium huic operi his verbis fecerat: *Meliton fratri suo Onesimo salutem. Cum pro tuo in nostram Doctrinam affectu sæpius me rogaveris, ut optima quæque ex Lege, & Prophetis, ubi de Salvatore, & tota fide nostra agitur, ex-*

Nn 4

cerpe-